QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE
AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XV. MENSIS DECEMBRIS MAGISTRO PETRO PIIART DOCTORE MEDICO MODERATORE PRVDENTISSIMO.

An Bilioſi ſanguineis ſolertiores? 635.

CORPVS humanum omnium temperatiſſimum ac morboſiſſimum, ex quatuor mundi elementis mixtis & contemperatis conſurgit. Ignis calor ſummus aquæ frigore, aëris ſummus humor terræ ſiccitate temperatur. His (præter tempeſtates & ætates) humores ſunt analogi: ſanguis calidus humidus aëri, bilis calida ſicca igni, humor melancholicus frigidus ſiccus terræ, pituita frigida humida aquæ reſpondet. Verùm humores in corporis conſtitutione plurimùm valent, partes formant, augent, nutriunt, nec tamen omnes ſinguli, ſed eas præſertim cum quibus maiorem habent affinitatem. Neque ſolùm in iſtis eorum virtus emicat, ſed in animæ quoque facultatibus & functionibus manifeſtè elucet, quæ pro diuerſo eorum imperio, variè afficiuntur.

SANGVINEIS vigent potentiæ naturales, atque inter eas quæ altrici famulantur, vna coctrix perfectior eſt quàm in cæteris temperamentis, aliæ, quàm quæ in bilioſis & melancholicis cernantur, imbecilliores. Bilioſi ſiquidem facultatem vitalem quàm omnes alij validiorem habent, cuius virtus pulſificâ, & iraſcibili ſe prodit: quarum illa pulſus omnes edit, magnum, celerem, crebrum, vehementem & cæt. inter quos ſolus vehemens non minùs eſt certus virium index, quàm vox vitæ. Hæc non aliter quàm concupiſcibilis magnas in corde (communi vtriuſque ſubiecto) perturbationes atque tumultus excitat.

ANIMALES potentiæ per totam cerebri ſenſus expertis, eiuſdem tamen authoris, ſubſtantiam diffuſæ, licet eâ potiſſimùm in ſuis functionibus obeundis vtantur, magnum tamen ab humoribus & ſpiritibus capiunt adiumentum, quippe qui pro diuerſis qualitatibus diuerſa gignunt affectuum, morum ac ingeniorum diſcrimina. Pituitoſi frigidæ humentiſque naturæ tardos habent cùm corporis tum animi motus, quò fit vt ignaui, inertes, ſtupidi, in ſomnum procliues, atque ad res præclaras parum idonei exiſtant.

MELANCHOLICI frigidi ſicci deterioris quàm cæteri conditionis naturâ ſunt pauidi, triſtes, auari, diffidentes, taciturni, tardiùs irritantur, verùm accenſis ſeriùs deferueſcit ira: non adeò valent ingenio, quidquid ſentiant qui ſapientiam humori melancholico volunt eſſe referendam. Sanguinei calido humidoque temperamento præditi ob id longioris vitę, res graues ac ſerias auerſantur, curas ablegant, ſed hilares & vrbani cùm ſint atque dicaces, nihil magis quàm voluptates ac delicias conſectantur, liberalitatis ac libertatis ſunt amantes, nimiùmque felices eſſent ſi vis ingenij reſponderet corporis venuſtati.

BILIOSI calidi ſicci veloces habent corporis & animi motus, audaces atque feroces exiſtunt, citò flammam concipiunt, ſed confeſtim iræ ſedatur impetus. Præ cæteris ingenij ſubtilitate, nec-non inueniendi virtute pollent. Quid mirum ergo ſi aliis acutiores ac ſolertiores perhibentur? Illic enim mens expeditior eſt, vbi ſpiritus triplex concitatior: illic operatur clariùs vbi humorum craſſitie minùs obſcuratur: illic demum ſolertior vbi ad inueniendum & coniiciendum eſt accommodatior.

Ergo Bilioſi ſanguineis ſolertiores. 82



Proponebat Lutetiæ IOANNES FAYOLLE Marlenſis, Schol. Archi. Anno R. S. H. M. DC. XXII.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. Claudius Lienard.
M. Ioannes Doſſier.
M. Renatus Moreau.



M. Dionyſius Allain.
M. Lazarus Pena.
M. Iacobus Couſinot.



M. Hieronymus Goulu. P.R.
M. Henricus Blacuod. M.R.
M. Gabriel Biart.

